



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 139. Religio Catholica variis in locis oppressa, in aliis propagata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

decima sexta Decembris Cafrida erum- Sæc. XVII.
pentes, totam circum regionem flam- A.C. 1616.
ma & igne vastant, haud mitius in
quinque Monfalconensis tractus Pagos
grassantibus Heiduccis. Præterea Ve-
neti, ut suppetias Carinthiorum a Fer-
dinandi exercitu abscinderent, Ponta-
fellam Alpinarum faucium claustrum
occupare moliuntur: non latuere ta-
men Austriacos hæc eorum consilia: un-
de valido milite locum firmare, Vene-
tosque faucium ingressu prohibere sa-
tagunt, eosque aditum tentantes fö-
pius repellunt, non sine opima reversi
præda, præcipue copia vini Malvatici,
quo tamen largius hausto Teutones,
Pannonesque compotationibus innatan-
tes, suisque lectis immersi, Venetis ir-
ruentibus, claustra Pontafellæ turpiter
reliquerunt.

§. CXXXIX.

*Religio Catholica variis in locis op-
pressa, in aliis propagata.*

Sub idem ferme tempus Constantino- Abrege de l'Hist. Eccles.
poli in Apostolicos variæ Professio-
nis Viros accerrima concitabatur vexa-
tio; licet enim Turcæ, Schismaticos ad
Ecclesiæ unitatem revocandi facultatem
Missionariis indulgeant, omni tamen
legum severitate in eos animadvertere

L 1 5 solent,

Sæc. XVII. solent, qui vel in Mahometana superstitione natos, vel ad eam a Christiana

A. C. 1616. Religione deficientes ad Christi fidem

revocare adlaborant; cum ergo P. Sangallus Ordinis FF. Minorum Constantinopolitani Cœnobii Vicarius quosdam Christianæ fidei desertores ad Ecclesiæ sinum revocasset, eisque testimoniales suscepτæ fidei literas tradidisset, re ad Muſti seu Ottomanici Pontificis aures delata, hic in carcerem detruditur, unacum sex Jesuitis & omnibus hisce Neophytis, penes quos, cum præfatæ literæ fuissent repertæ, Sangallus ex Turcici Senatus sententia laqueo suffocatus est, cujus glorioſæ mortis coronam sex illi Jesuitæ declinabant, Gallici Oratoris patrocinio suffulti: Ne vero Jesuitæ deinceps ejusmodi periculo exponerentur, prospexerat Matthias Imperator impetrata eisdem facultate, Apostolica ministeria per Universum Turcarum Imperium libere exercendi:

Vid. L. 187. Pariter in Imperio Sinensi paulatim Christianorum numerus plurimum augeatur, quibus etiam accessere quatuor primaria Nobilitate Mandarini, summisque in Aula Imperatoris Officiis insignes: Uberrima insuper incrementa cœperat Religio Christiana in Biscaya Hispaniæ novæ apud Indos Orientales Provincia ultra Mexicum sita, ubi a tem-

§. 68.

tempore, quo Ferdinandus Cortesius Sæc. XVII.
Hispanorum Dux eo appullerat, quam A.C. 1616.
plurima Christianorum millia numera-
bantur; hoc autem anno quidam vene-
ficus Præstigiator, qui a Christi fide
transfuga se Prophetam, & Terræ Deum
mentiebatur, vicatim circum cursabat,
ac nunc singulis ac viritim, nunc gre-
gatim atque universis exponebat, quod
opibus, suaque libertate ab Hispanis,
Deorum autem furore a Missionariis
spoliati fuerint, proin haud cunctaren-
tur, Hispanum omne nomen, & Hi-
spanenses præfertim Sacerdotes suis ex-
terminare finibus. Hæc & plura alia
perturbas & Pagos Barbarorum præser-
tim Tepeguanorum disseminans, haud
difficulter, quoniam facillimus est in
pejora lapsus, quocunque eis persua-
ferat, id & persuasit: Hi igitur conju-
ratione facta Catholicos in Divæ Catha-
rinæ Pago impotentibus furiis aggre-
diuntur, atque ex Hispanis plurimos,
variique Instituti Sacerdotes misere tru-
cidant; demum vero occisorum corpo-
ra per trimestre inhumata sub diu re-
linquunt.

§. CXL.

*Tumultus ingens a Delphœis Mulie-
ribus suscitatus.*

Hus-